

gravi incommodo militari astu obviam itum est : duobus fidis , & industriis viris , ut cum equis vino onustis in Gallia castra progrederentur , præcipitur ; tribus aureorum millibus vafro consilio in vas vinarium immisxis . Leva ea de re per litteras occultis notis exaratas edoctus , extemplo ab ea parte , qua significatum fuerat , exire ad leve certamen ineundum milites jubet . Tumultu in castris orto , statim undique ad arma conclamatur ; misceri pugna incipit ; alter ex iis , cui deferendæ pecuniæ munus injunctum fuerat , e medio elapsus , fracto vase , arrepta pecunia , urbem ingressus ad Antonium Levam sistitur ; quæ res adeo Germanos permovit , ut compressa seditione , se solertiores in tuenda urbe , quam in pecunia petenda insolentiores ostenderint .

Non minor in equitatu ex hybernis deducendo , ob pecuniæ inopiam difficultas aderat , cui Hieronymi Moroni opera valde fuit opportuna . Is enim Cremona in mensem equitatui suffecturam argenti vim attulit , quantaque ad tormentorum apparatus , & cetera belli instrumenta usui esse posset . Pedites , quia facultas persolvendi stipendii non erat , Daulus pollicitationibus , adhortationibus , prece flexit ; atque Laude exercitu coacto , in quo septingentos cataphractos , totidem leviores equites , pedites Italos mille , Hispanos , ac Germanos ad sena & dena millia censi ferebatur , viii. kal. februarii motis castris , Melenianum , quod Mediolano passuum decem millibus abest , Cæsareani profiscuntur , tanquam Mediolano exercitum admovere statuerent ; eo consilio , ut , si periclitanti urbi Rex subvenire vellet , a Ticino exercitum abduceret , vel metu perterriti hostes urbem ultro desererent . Verum consiliis eventus dispar fuit . Lambrum amnem Cæsareani trajiciunt , oppidumque Sancti Angeli medio ferme inter Laudem , & Ticinum itinere aggrediuntur , ne hostes commeatus , qui a Laude ad exercitum convehendi erant , opportunitate loci impedirent , aut interciperent . Quod Rex veritus , ut Italis peditibus octingentis , equitibus ducentis , qui Pyrrhi Gonzagæ auspiciis oppido se tenebant , prospiceret , simulque an satis munitum , hostiumque ad impetum excipiendum validum esset , intelligeret , Jacobum Cabaneum Magistrum equitum , & Federicum Gonzagam Pyr-